

2.
D. CAROLVS GOTTLOB KVEHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A V D I T O R I O I V R I D I C O

D. XXVII. MENS. APRILIS A. C. C I O I O C C C X X X

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T

*Inest COELII AVRELIANI de incubone
tractatio.*

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22415841>

Cum praeter spem expectationemque Candidati summorum in arte medica honorum inauguratio programmata indicenda esset, nec mihi nunc, negotiis multigenis et tantum non continuis distracto et fere oppresso, otium suppeteret, ea digerendi elaborandique, quae ad veteres inter Graecos Romanosque medicos ab oculis in pugillaria reculeram mea, in memoriam redibat, me quondam, CHR. GODOFR. GRUNERI exemplo incitatum, de morborum antiquitatibus scribendis cogitasse, et inde fortasse peti nonnulla posse, quae meam curam atque sollicitudinem lenire queant. Inter morbos, qui ab antiquissimis medicis aut plane non observati, aut admodum obscure descripti sunt, incuboni quoque locus assignari debet, quippe cuius ne levissima quidem vestigia neque in Hippocratis, neque in Celsi Galenique operibus reperiuntur. Quem morbum etiamsi Grunerus *l. c. p. 232. ss.* silentio haud praetermiserit, tamen eius hac de re disputatio adeo non omnem rem exhaurit, ut potius varia addi et queant, et debeant. Itaque huius morbi historiam, inde a seculo post Christum natum primo usque ad seculi decimi tertii finem, quando plus otii nactus fuero, diligentius pertractare studebo, nunc solummodo in COELII AVRELIANI de hoc morbo (*chronic. lib. I. c. 3.*) expositione paulisper commoraturus.

D E I N C U B O N E.

Incubonem aliqui ab hominis forma vel similitudine nomen ducere dixerunt; aliqui a phantasia, qua patientes afficiuntur: siquidem veluti ascendere atque insidere suo pectori sentiunt quicquam. Themison secundo epistolarum libro *πνιγαλίωνα* vocavit, siquidem praefocat aegrotantes. Quidam veteres *ἐφιάλτην* vocaverunt, alii *ἐπιβολήν*, quod utilis¹⁾ patientibus perhibeatur. Afficit crapula vel indigestione iugi vexatos. Accidens igitur semel, ita ut nullam vigilantibus querelam, aut displicentem sanitatem faciat, sed solius somni turbatio noscatur²⁾, minime passio dici potest,

1) ut talis. 2) percipiatur.

a phantasia] Salmuth. *obs. med.* 41. cent. III. Rhod. ad Scrib. p. 165. Gariopont. V. 17. p. 101 b. Schenfeld. *hist. med.* VIII. p. 26. ss. Vid. Vidius *lib. II. c. 19.* Harduin. ad Plin. XXV. 4. to. II. p. 363. TRILL.

πνιγαλίωνα] Eadem denominatione utitur Paul. Aeg. III. c. 15. In Demetr. *de elocut.* p. 66. locus Sophronis occurrit: *Ἐπιάλης, ὁ τὸν πατέρα πνίγων*, qui ad morbi nomen illustrandum non pertinere videtur. Vid. Schneid. ad h. l. p. 159.

ἐπιβολήν, quod utilis] Qua sententia, quid ineptius? incubum, qui sit epilepsiae praetentatio, esse possessis utilem? quidquod nec nomini *ἐπιβολῆ*, utut torqueas contentissime, respondet etymon. Scribe *ἐπιβουλήν, quod hostilis patientibus perhibeatur.* *Ἐπίβουλος, ἐχθρός* Hesych. *ἐπιβουλή*, insidiae: vel si malis, epibolen, ab *ἐπιβάλλειν*, quod cum impetu irruat, gravet, premat, praefocet, quae hostilitatis actiones sunt. *Ἐπιβολή, ὄρμη*, invasio, aggressio, pressura: quomodo Hercules apud Thurios *ἐπιβολεὺς* dictus est. TH. REINES. V. L. III. c. 18. — Nihil sane minus quam ineptum, quin potius infelicissima hac Viri summi est coniectura, uti liquidissime ostendimus ad Psellum *de lapid.* p. 18. ed. Bern. et in *Clinotechn.* p. 81. Vid. Lamb. Bos *obs. miscell. crit.* c. XXII. p. 99. Legendum *ἐπωφέλην* Vid. Hesych. in hac voce et p. 353. *Ἐπωφέλης, ὁ καλούμενος Ἐφιάλτης*, ad q. l. vid. VV. DD.

sicut neque semel effectus per somnum seminis lapsus, quem Graeci *ὄνειρόγονον* appellant, passio vocatur, nisi iugiter, atque cum corporis incommoditate fuerit effectus. Est autem supradicta passio epilepsiae tentatio ³⁾. Nam quod neque deus, neque semideus, neque cupido sit, libris causarum, quos *αἰτιολογουμένους* appellavit, plenissime Soranus explicavit. Ista igitur passione possessos sequitur corporis tardissimus motus atque torpor, et magis per somnium gravedo atque pressura, et veluti praefocatio, qua sibi quenquam irruisse repente existimant, qui sensibus oppressis corpus exanimet, neque clamare permittat. Quo fit, ut saepe erumpentes non articulata, sed confusa voce exclament. Quidam denique ita inanibus afficiuntur visis, ut et se videre credant irruentem sibi, et usum turpissimae libidinis persuadentem: cuius si digitos apprehendere nixi fuerint, fugatum ⁴⁾ existiment. Tunc autem cum somno surrexerint, faciem atque transforatio-

3) praenunciis quidem et quasi principium.

4) fugientem.

Artemid. *Oneirocr.* II. c. 42. Ephialten asserit maximas praedicere utilitates, maxime si non gravaverit. Cons. Forest *observ.* lib. X. p. 376. Heurn. *de morb.* cap. XXII. p. 156. Sueton. *Calig.* c. 50. *Neque — plus quam tribus horis nocturnis quiescebat; ac ne his quidem placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit.* Pro pelagi leg. *Epialti*. TRILLER. *ὄνειρόγονον*] Manifesto corrupta vox. Videtur *ὄνειρωγμὸν* legendum, quae vox in Galeno *de sem. l. II.* p. 601. to. IV. ed. Lips. de seminis ciaculatione occurrit.

neque Deus, neque semideus etc.] Vid. Athen. XIII. ap. Maiorag. *orat.* XXII. p. 450. Io. Rhod. *ad Scrib. Larg.* p. 165. Grotii *Excerpt. ex Alexide* p. 591. 592. TRILLER.

ista igitur passione] Vid. Wetsten. *ad Matth. IV.* p. 282. ubi tamen hunc locum falso de epilepsia intelligit. Schenfelder *l. c.* p. 30. TRILLER.

transformationis partes] Martian. Capella p. XVI. *quinque sensus esse*

nis ⁵⁾ partes uvidas et humectas sentiunt, attestante gravedine cervicis, cum tussicula levi ⁶⁾, molli simulatione commota. Plurimum autem possessis ⁷⁾ accidit pallor, et corporis tenuitas, quippe cum somnum timendo non capiant. Apparet igitur stricturae passio ex gravedine, tarda autem ex temporis tractu ⁸⁾, et non semper sine periculo salutis. Cum enim vehementer impresserit praefocatio, quosdam interficit. Memorat denique Silimachus, Hippocratis sectator, contagione quadam plurimos ex ista passione, veluti lue, apud urbem Romam confectos. Quapropter curandos oportet iacere loco lucido atque mediocriter calido, adhibita requie animi et corporis, abstinentia usque ad

5) oculos, nares, aures, anum.

6) leni.

7) diu morbo laborantibus.

8) diuturnitate.

corporeos, si septem foraminibus emittuntur. Et paulo post: *ministros eidem sensus septem veluti fenestris emitti manifestum est.* Hinc pulchre Alcimus Avitus lib. I. vultum vocat *septiforem.* CASP. BARTH. *advers. V. p. 222.*

[*Silimachus*] Huius nominis medicum, Hippocratis sectatorem, minime norunt, qui diligentissime de antiquissimis Graeciae medicis exposuerunt Fabricius, Hallerus, Sprengelius et Heckerus. Libro III. *acut. morb. c. 17. p. 235.* occurrit Salimachus, quem Fabricius *B. G. XII. p. 423.* eundem esse putat cum Silimacho, h. l. commemorato. Utrumque autem nomen corruptum, et in *LYSIMACHVM* mutandum est, qui Hippocratis placita secutus est, teste Schol. ad Nicandri *Alexiph. vs. 376. p. 56.* ed. Schneid.

[*veluti lue, apud urb. Romam*] Populari et pestilenti huic incubo sudor anglicus non dissimilis est. AMMAN. Romanum aërem crassum et humidum esse indeque morbos contagiosos originem suam trahere, variis exemplis Mercurial. *V. L. I. c. 24. p. 65. sq.* probavit. Cons. Io. Mar. Lancisius *de nativ. et advent. Rom. agri qualitat.* Genev. 1718. 4. Baglivius *opera med. to. II. p. 28. ss.* ed. Lips. et inter recentiores Ed. de Loder *Bemerk. üb. ärztl. Verfass. in Italien. p. 285.*

tertium diem, quem^{8b)} Graeci diatriton vocaverunt. Tum colla tegenda atque caput, stomacho lanis limpidis ex oleo calido praecincto: adhibenda etiam oris collutio ex potu aquae calidae. Ac si plurima stomachi, vel capitis, vel colli fuerit querela, adhibenda phlebotomia, et post detractionem⁹⁾ perunctio ex oleo calido. Tum ora fovenda; cibus dandus simplex, succi facilioris, parvus, sorbilis, et si passio perseveraverit, cataplasmata adhibenda, cucurbita quoque, nunc simplex, nunc adiecta scarificatione ex utraque parte gutturis, quam Graeci ἀνθρεῶνα vocant,

8 b) Scribend. *quam*.

9) nimirum sanguinis.

quem Graeci diatriton voc.] διάτριτος scil. ἀσιτία, a Thessalo empirico excogitata, teste Galeno *meth. med. l. IV. p. 264. to. X. ed Lips. Θεσσαλός, ὁ τὴν πρώτην διάτριτον ἐξενρών*, ab eodem Galeno oper. cit. lib. X. c. 6. p. 692. uberius est descripta. Thessalus nempe aegrotis quarto demum die cibum permisit, postea alternis diebus, adeoque sexto, octavo, decimoque.

caput stomacho] Videbatur Trillero legendum esse: *caput cum stomacho*, nec hac emendatione contentus totum verborum ordinem ita immutari volebat: *Tum colla tegenda, atque caput lanis limpidis, stomacho ex oleo calido praecincto*. Mihi haec criticae falcis adhibendae ratio haud placet. Mutatio quidem verbi *praecincto* in *praetincto* etiamsi loquendi usu, Coelio familiari, aliquo modo commendari posset, v. c. *Chron. IV. c. 3. p. 511. lanae oleo constrictivo praetinctae*, et c. 8. p. 539. lanae ex ipso (oleo veteri) *tinctae*, et Lib. V. c. 1. p. 550. lanis molibus ac limpidis oleo calido dulci *praetinctis*, — tamen hac emendatione plane non opus esse mihi videtur. Stomachus enim eodem modo lanis limpidis praecinctus dici potest, quo Euphrates apud Ovidium praecinctus arundine frontem.

lanis limpidis] i. e. puris. Sic *vulnus limpidum* occurrit ap. Vegetium *mulomed. lib. II. c. 22. p. m. 1086. pro eo, quod pus non amplius fundit*. Lana igitur limpida opponitur *succidae* h. e. illi, quae adhuc naturali unguine impura est.

ἀνθρεῶνος] Latius extendit huius vocis significationem Noster

nos rumam. Tunc vaporatione utendum, et alternis diebus
cibus dandus. Illa vero adiutoria, quae adhibenda, diurnis¹⁰⁾
erunt diebus adhibenda, sed longe remotius a nocturno tempore.
Tunc etiam gestatio, atque varius cibus, et lavacrum, et aqua-
tum vinum. Illis vero partibus, quas curamus, erunt primo ce-
ratoria apponenda, tum malagmata, ut diachylon, et diameli-
lotum, aut diamsucum. Fricatio etiam capitis, et densi pectinis

10) continuis.

*chron. II. c. 7. p. 385. Adhibendae curcurbitae — maxime anthereoni
h. e. thoraci, vel gutturis circulo, quam rumam vocamus. Accuratius
Hesych. ἀνθερών· ὁ ὑπὸ τὸ γένειον τόπος, ἀφ' οὗ μέρους ὁ πώγων
ἄρχεται, ad q. l. vid. VV. DD. Huius glossae priorem partem in suum
quoque Lexicon recepit Varinus p. 1097. 30. Ruf. Ephes. de part. hom.
p. 26. ed. Gu. Clinch. τὸ ὑπὸ τὴν κάτω γνάθον σαρκῶδες, λεκανίαν· οἱ
δὲ ἀνθερώννα μὲν τοῦτο, λεκανίαν δὲ τὸ πρὸς τῇ κλειδί κοῖλον ὀνομάζουσι.*

nos rumam] Festus *rumen*, quod idem est cum *ruma*, eam colli
partem significari male putat, *qua esca devoretur*: haec enim foret po-
sterior, per quam oesophagus decurrit. Coelius autem *lib. V. c. 10. p.*
526. explicationis causa addit, *quam Graeci βρόγχον appellant*, adeo-
que anteriorem colli partem recte intelligit.

diamelilotum, aut diamsucum] Ammanus legi vult *diamelilotu* (διὰ
μελιλώτου) aut *diasampsucu* (διὰ σαμψύχου), quamvis fateatur, per
totum Coelii opus haec nominandi casu legi. Occurrunt quidem medi-
camenta, quae a planta, unde praecipua eorum virtus aut vere pende-
bat, aut derivabatur, cognominata v. c. διὰ κρόκου, διὰ σμύρνης, δι'
ἐρείκης, tanquam adiectiva enunciantur, διάκροκα, διάσμυρνα, διερι-
κειρά, sed nullum mihi occurrit exemplum, quo idem de διὰ μελιλώτου
et διὰ σαμψύχου valere probare possit. Σάμψυχος est maiorana, de
qua Dioscor. *mat. med. l. III. c. 41. p. 387.* ed. Spreng. Malagma, quod
sampsuchus ingreditur, a Magno Sophista cognominatum, habet Nic. My-
repsus *sect. XXXIV. 17. p. m. 628.* Emplastrum διὰ μελιλώτου Oribas.
medicin. collect. ad Eunap. lib. IV. c. 126. habet.

Fricatio capitis] Conf. Pechlin. *obs. med. 10. libr. III. p. 414.*

capillorum decursio: suspiciones etiam sive metus imminentium somniorum avertendi procul, fabularum lenitate robore adiecto. Plerique enim sibi fingentes vel formantes futura, voluntarios pene causarum motus efficiunt. Ac si passio tardaverit levioribus admonita monitis¹¹⁾, convenit etiam radicum vomitus atque drimyphagia: capitis quoque detensio, ac corporum¹²⁾ usus acriorum,

11) curata medicamentis. 12) ciborum, quamvis iisdem verbis utatur Coelius paulo ante p. 282. *Est etiam ex localibus adiutoriis usura corporum etc.*

Lentil. *iatromnemāt.* Pa. I. c. 48. p. 206. Valleriol. *enarr. med.* 5. lib. IV. p. 546. Fortis *consultat. medic.* p. 210. et 21. Paullini *observ. med.* 12. cent. 3. p. 305. I. Brunon. *lex. med.* p. 897. imprimis Schneider. *de catarrh. l. IV. c. 11. p. 615. et 716.* Seneca *de brev. vit. c. 12.* Borell. *obs. med.* 2. cent. III. p. 196. Lotich. *comm. in Petron.* p. 119. Apulei. *apolog.* 6. ibique Pricaeus p. 9. ss. et Elmenhorst. p. 324. Hadr. Iunii *comment. de coma c. 7. p. 391.* Io. Rhodii *analect. in Septal.* p. 302. TRILLER.

densi pectinis capillorum decursio] Densus pecten est is, cuius dentes maxime angusto a se invicem distant spatio. Densi pectinis decursio capillorum est densi pectinis traductio per capillos. Longe aliud *decursionis* vocabulo veteres significabant.

drimyphagia] Methodici hanc acrium cibandorum rationem ad *μετασύγκρισιν*, quae vocabatur, efficiendam in usum vocabant. Iis esculentis, quae e regno vegetabili desumpta *δριμυφάγοις* commendabantur, Dioscorides lib. II. c. 32. salsamentum quoque crudum, seu carnem hunni piscis, sale conditi, annumeravit. Vid. Heckeri *Gesch. d. Heilk. Th. I. p. 417.*

ac corporum usus acriorum] Cum infra p. 576. *malagmatum atque acoporum lacessentium usus* occurrit, Trillerus et h. l. *corporum acriorum in acoporum acriorum* mutari voluit. Nec immerito, ut mihi videtur. Idem vitium p. 282. locum habet in verbis: *ex localibus adiutoriis usura corporum, ut sunt ea, quae conficiuntur ex euphorbio.* Acopon ex euphorbio confici, docet Coelius p. 444. et Actuar. *meth. med. lib. VI. p. 323.* ad acopon viride parandum recipit inter alia euphorbium et adarcen.

item dropax. Sic enim aut ex supradictis adiutoriis aegritudo solvetur, aut si peioraverit, epilepsia necessario sequetur.

Iam producendus est Candidatus Praenobilissimus atque Doctissimus,

CHRISTIANUS FRIDERICVS ADLERUS,

MEDICINAE BACCALAUREUS,

qui non praecipitato gressu amplum medicae artis campum emensus est, sed omnia, quae medico docto scitu necessaria sunt, magno cum studio, diligentique circumspectione cognoscere studuit. Quae honorifica cunctatio clarissime e curriculo vitae Candidati, imprimis in hac literarum universitate transactae, elucescet, quod nunc cum Lectoribus communicare liceat.

Natus sum Leucopetrae, anno praeteriti saeculi nonagesimo nono, patre FRIDERICO CHRISTIANO, Artt. libb. Magistro et tunc temporis ad aedes cathedrales Subdiacono, quem praematura morte ante duos fere abhinc annos mihi ereptum pie lugeo et matre SOPHIA ELEONORA, e gente IACOBIANA, de qua adhuc superstite plurimum gaudeo.

Primam eruditionem a patre accepi, qui deinde, anno MDCCCXII me scholae provinciali Portensi tradidit, ubi ILGENII, b. IOHNNI, b. SCHMIDTII, LANGII, GERNHARDTII, b. FLEISCHMANNII, WOLFII, b. SCHMIDTII et BECKII, nunc Lipsiae degentis, institutione fruitus sum. Anno MDCCCXVIII. Portae, almae matri, valedixi et celeberrimam Philuream petii, cuius civibus a Viro Magnif. WEISSIO,

tunc temporis *Academiae fasces tenente, adscriptus sum. Arti medicae nomen daturus adii praelectiones philosophicas b. PLATNERI, Exc. KRUGII et Exc. WENDTII, philologicas Exc. HERMANNI et b. SPOHNII, methodologicas Exp. PUCHELTI, botanicas Exp. SCHWÆGRICHENII, chemicas Exp. ESCHENBACHII, physicas b. GILBERTI, anatomicas b. ROSENMUELLERI et Exp. BOCKII, anatomico-pathologicas Exp. CERUTTII, physiologicas Exp. HAASII et WEBERI, anthropologicas Ill. HEINROTHI, pathologicas Exp. PUCHELTI, pharmacologicas et therapeuticas Exp. HAASII, obstetricias Ill. IOERGII. Praeterea Ill. CLARO atque Exp. KUHLIO et WENDLERO ducibus in nosocomio St. Iacobi ad aegrotorum lectulos accessi, hosque viros doctissimos cum summo fructu disserentes audivi. Horum omnium, quam plurimum de me meritorum, virorum memoriam gratissima ad ultimum usque vitae halitum mente servabo.*

Restat nunc, ut triumviratui de me insigni humanitate et benevolentia merito, publice eas agam gratias, quas pia mente semper repostas habui et per omne vitae tempus habebo, scilicet Viris Excc. et Expp. b. EISFELDIO, SCHWARTZIO et Maur. MUELLERO. Quem illorum virorum primo, quem secundo, quem tertio loco ponam, omnino nescio, cum omnes pari modo de sorte mea meriti sint. Non solum enim summa comitate et benevolentia mihi vitam iucundiozem reddiderunt, sed inprimis etiam, cum ad aegrotorum suorum lectulos me admitterent, institutione et exemplo ad acquirendam in praxi medica exercitationem plurimum mihi profuerunt. Tot tantorumque beneficiorum, quae singula enumerandi vanum esset

conamen, memoria gratissima pio animo meo nullo tempore excidet.

Examine cum theoretico, quod anno MDCCCXXVIII. mense Martio subiit, tum practico, quo mense Martio huius anni tentatus est, ita superatis, ut *prima* censura dignissimus cense- retur, ad obtinendos summos nostrae artis honores sese accinxit. Conscripsit igitur dissertationem inauguralem, cuius argumentum voluit esse *specimen primum observationum e praxi medica desumptarum*, eamque contra adversarios, Viro excellentissimo CHR. GHOLD ESCHENBACHIO, Prof. Chemiae ordinario emerito, moderatore, proximo die Martis, qui erit d. XXVII. mensis Aprilis, rite tuebitur. Quo facto ego, Cancellarii vice, post bre- vem orationem recitatam in Candidatum Doctissimum Licentiati medicinae et chirurgiae titulum, omniaque cum hac dignitate coniuncta iura et privilegia conferam.

Quam solemnitatem academicam ut RECTOR ACADE- MIAE MAGNIFICUS, PRINCEPS SERENISSIMUS, COMI- TES ILLUSTRISSIMI, PROCERES UTRIUSQUE REIPU- BLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES CARISSIMI sua praesentia, et Ordini meo, et Candidato perhonorifica, ornare ve- lint, observanter rogo.

P. P. Dom. Miseric. Domini A. R. S. MDCCCXXX.
